Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1595

Quelle:
Copyright:

Tractatum dant illi eruditi Populares, ut vidimus. In eo frequens est: *quanto ti ho mostrato — hor ti uoglio mostrare* &c. Eadem apostrophe in praesenti: *Come ab occho dieci anni a te dixe — se harai in vna tua casa vna sala* &c. Illud singulare, citari in eo *il libretto dinanci decto Rosaio odore de la vita*, unde nova ratione fiat probabile, hunc etiam Libellum *Bartholomaei* foetum esse. Atque haec ulteriori doctorum *Italorum* discussioni submittuntur.

DCLXXIX.

R. 1989 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 100. 4. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis distinctus et olim *Domus orti beate Marie prope pragam Ordinis Carthusiens.* fundatae ab *Johanne Luxemb.* Rege ad *Cressiacum* a. 1346. caeso sequentia continet: I. *Incipit summa virtutum.* Initium: *Si separaueris preciosum a vili &c.* Est *Guil. Peraldi O. P.* jam relata *Vol.* I. P. II. *col.* 2285. sed hic absque Praefatione, et ita terminata: *ut edatis et bibatis super mensam in regno meo. Quo nos perducat* &c.

II. *fol.* 32. *Incipit tractatus de speciebus timoris domini.* Ita quidem: *Speties timoris dicuntur esse VII. scilicet timor mundanus. humanus. seruilis. naturalis. initialis. filialis. reuerentialis* &c. Divisus in Articulos piis narratiunculis scatet. Ita *Art.* 3. narratur de quodam *Rustico trufbatore, qui cum duceret vaccam et vitulum ad montem sancti michahelis de periculo maris inter fines britannie et normannie, et appropinquaret ad locum, et fluxus maris, qui quandoque viam illam attingit, inuaderet eum, exclamans dixit: O sancte michahel libera me et dabo tibi vitulum. Liberatus autem dixit: Bene fatuus erat sanctus michahel, si credebat, quod darem sibi vitulum meum; et iterum fluxus quasi involvens eum et exclamavit dicens: O sancte Michahel libera me, et dabo tibi vaccam cum vitulo. Liberatus autem dixit: O michahel nec vaccam nec vitulum habebis. Cum autem sic securus incederet, ecce fluxus iterum involvens eum suffocavit, vaccamque cum vitulo.* Ad calcem habetur: *Explicit tractatus de timoribus.* Ignoro Autorem.

III. *fol.* 43. p. 2. *Incipit summa uitiorum.* Ita: *Dicturi de singulis vitiis ante omnia ostendemus* &c. Haec *Summa* rursus ad *Guil. Peraldum* pertinet, quamvis a Librariis contracta et licenter habita, id quod etiam de *Summa Virtutum* superius adlata intelligi velim, ut patet conferenti utramque cum edit. *Antverp. Tomis* II. 1571. 8.

IV. *fol.* 86. p. 2. *VII. dubitabilia de corpore christi.* Primum est: *Quomodo panis possit fieri caro et vinum sanguis?* Solvuntur singula haec *Dubitabilia*, et ad ultimum, quomodo *Christus* possit esse simul in *Ratispona*, in *Wienna*, in *Praga*, adfertur exemplum animi,